

beant in omni suo robore Constitutiones Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. (1) (*Vincam Domini Sabarh*) contra hæresim Jansenii editas &c. Ut proinde pro orthodoxa Quæsnelliani operis, ne ex his quidem cunctantibus Episcopis quidquam habeatur. Cumque ab aliis omnibus totius Universi Episcopis absque ulla hæsitatione rejectam fuerit; manifestum sit ab universo Christiano Orbe proscriptum fuisse. At *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* (2)

XXVII. Quid hic ager Sorbona? Adhærebit suo Archiepiscopo? (3) Sic quidam summa confidentia discabant. Contra tamen res accidit. Sedatis quippe turbis, quas Jansenii & Quæsnelli doctrinæ studiosi excitaverant, conlativæ suffragiis, major, saniorque Academiæ pars, qua deicit in Apostolicam Sedem veneratione, & obedientia suscepit: in regesta cum regia Epistola retulit; mandavitque universis, ut debito illam prosequentes obsequio, nemo scriptis, aut voce auderet impetere; qui fecus ageret, omnibus Academiæ honoribus extemplo exutus haberetur. Paucorum tamen Episcoporum pravum exemplum, Quæsnellianis audaciam addidit. In initio Clementis Constitutionem obsecram, ancipitem, fallacem notare, postea flocci pendere, ad extremum etiam temere despiciari. Sanam esse Quæsnelli mentem: doctrinis probis Apostolicam Sanctionem notas inurere: bona malis aggerere; altera ab alteris perspicua explicatione fecernenda.

XXVIII. Longius indies progressa licentia, corruptas Quæsnellianorum mentes & voluntates clarius detexit. (4) Quam autem ipsi non clam, sed palam ineluctabili Pontificis auctoritati audacter obstitent, vanis hæreticorum proficiens ausibus Ecclesia Christi, tot libros, qua divinorum voluminum testimonio, & SS. Patrum assertis, qua Ecclesiasticæ disciplinæ monumentis, & argumentorum pondere referretur atque vallatos pro Constitutione *Unigenitus* iotra paucorum annorum spatium adspexit, ut non parum illi ad eruditionem, atque doctrinam (quod bonum Ecclesiæ ex hæresibus accedere notavit Augustinus) aliena malitia profuisse videatur. (5) Conduxit etiam ad decorem. Enimvero, dum pauci in Gallis Pontifici injurii, edito ipsius decreto refragantur, in Hispaniis contra, Lusitania, Belgio, Germania, Italia, toto denique terrarum Orbe Episcopi, illustres Academice, doctissimorum Virorum consensus tanta veneratione receperunt, ut nihil supra in tota retro antiquitate reperire sit.

XXIX. De inexcusable ratione restituendi Gallicanæ Ecclesiæ pristinam tranquillitatem agitata consilia, intempertiva Regis Ludovici XIV. mors turbavit. (6) Calendis Septembribus 1715. vita decessit. Ingens quidem jactura, quam Ludovici morte in Galliarum præsertim Regno catholica fides subiit, vix dum extincti Regis humato corpore patuit. Longum foret omnia quæ deinceps secuta sunt scandala recensere; nec proposito nostro id congruit, qui historiam Constitutionis *Unigenitus* scribere non intendimus. Sufficiet aliqua, ad rem nostram facientia attigisse. Qui Quæsnellianis adhærebant partibus, caput erigere, omnia sua deque vertere: tum etiam ad agenda diffidia, gregales quarere. (7) Neque deerant factiosos hominibus instructæ ad seditionem, & turbas artes. Clementina in Quæsnellum Constitutione nulla catholice, atque divinæ veritatis

asserta notari criminabantur. Oportere declarationes saltem edere, quibus dilucida sententia fieret, atque in tuto poneretur veritas. Ambiguo, obscuro, fallaci; ajebant refractari; Pontificis diplomate in apertum adducta discrimen, nutare certissima Religionis dogmata. Oppugnatas denique corrumpere Theologicarum Scholarum Principum illustres sententias, quas Doctores, & antiquitate venerandas, Ecclesiæ utilissimas ad hæreticorum convellendos errores est experta, nec unquam sanæ Fidei noxias. Similia novis tibiis *Theol. Suppl.* decantat. (8) Paulo clarius rem repetamus ex Vitæ Clementis XI. n. 37. nusquam nimis repetendo.

XXX. „ E tot confixis Quæsnelli pronuntiationis, nonnulla, quæ ad divinam gratiam pertinent, notissimum Jansenii sensu proscriptis, qui Dei gratiam necessitantem, ut Theologi in Scholis vocant, inveniit. Integra ac proflus illata permanente doctrina de divina gratia se ipsa efficiat, & ad Beatorem gloriam *Prædestinationis*, ne gratia, quam a damnatis nuper erroribus immani tutam discrimine, potissimum Schola Thomistica, alique celeberrimæ in Orbe catholico Academiæ, frequentesque Theologi Ducibus SS. Augustino & Angelico Doctore, propagant. Quorum doctrinæ erroris notam hujusmodi ab se inquam Constitutione Quæsnellianæ studentes causæ per summam injuriam calumniatos esse, Clemens celebratissimis litteris, ordinentibus, *Pastoralis Officii*, quas ad universos Christianos Calendis Septembribus duodevigesimo hujus Sæculi Anno scripsit, merito questus est; falsamque criminationem depulit. „

XXXI. Novissime ad futurum Concilium provocatum est: quod factum, adversus Dogmaticam Summi Pontificis Sanctionem, in tota retro acta antiquitate Ecclesiæ recto atque probato carebat exemplo (alia ego non scio præterquam Juliani Eclanensis & xvii. cum ipso Episcopo-rum Pelagianorum: Michaelis de Cefena, hominis aperte Schismatici: & Martini Lutheri a Bulla Leonis X.) (9) *Nec alia Refragantes ipsi, quam Hæreticorum, coram Aurelio duce, & aliis probrosa laudabant facta, quibus contractam exinde invidiam surpiore probro, nedum in cassum, amoliri nitentur.* Sed ad Paschasium Quæsnellum revertamur.

XXXII. Igitur Quæsnellus paulo ante mortem coram duobus Notariis, fidei suæ professionem, postea publici juris factam, edidit: in qua quid de Doctrina, per Constitutionem Summi Pontificis ab universa Ecclesiæ acceptatam, damnata sentiret, etiam tum morti proximus, aperuit his verbis: *Declaro me persistere in ea opinione, quod NIHIL vel in meo Observationum Moralium libro, vel in aliis scriptis meis docuerim, quod non MAXIME congruat fidei Ecclesiæ . . . me renovare, quas feci querelas & protestationes, adversus manifestam injustitiam illorum, qui me condemnarunt inauditum. Me persistere in appellatione, qua ad futurum Concilium Generale provocavi &c.* Hac profecto solemnī protestatione, quid ipse de Doctrinis jam olim ab Ecclesiæ Romano-Catholica damnatis fenserit, ostendit. Ostendit, inquam, se in ea semper fuisse ac mortuum esse opinionem, quod varii articuli Baii, doctrina Jansenii, &c. quam cum Romano Pontifice in libro *Reflexionum Moralium* vident omnes per Orbem Episcopi Catholici, damnantque ut hæreticam; *MAXIME congruat doctrinæ Ecclesiæ*; id est, ostendit

dit se errasse, & in errore cum pertinacia immortuum esse: cum teste S. Augustino in *Enchiridio* cap. 16. *Nihil sit aliud errare quam verum putare quod falsum est; falsumque quod verum est: vel certum habere pro incerto; incertumve pro certo, sive falsum sit, sive verum.*

XXXIII. Errare porro in fidei materia, cum pertinacia, hæreticum facit. Sic igitur se ipse condemnat, & alios condemnantes absolvit. Frustraque questus est, se inauditum; cum ab Archiep. Mecliniensi, de persona ejus sententiam laturo, citatus ut coram ageret causam suam, & ipse se, si quiret, defenderet, comparere contempserit; (1) Romæ autem, ubi de ejus libro agebatur, non Quæsnellus, sed liber comparere debuerit: uti comparuit, Rei, accusatoris, ac testis munere functus: fueritque ejus accusatio, depositio, confessio innumeris Quæsnelli ipsius scriptis, præsertim vero solemnī, quam diximus, morientis protestatione confirmata ac sigillata. Enim vero, persistere se protestatus est in ea opinione, quod *NIHIL*, vel in suo *Observationum* libro, vel in aliis scriptis suis docuerit, quod non maxime congruat fidei Ecclesiæ: atqui de *observationum* libro contrarium judicat Ecclesiæ Universæ: & de scriptis apud eum, dum capereur Bruxellis, reperit, juridice constat Baii, & Jansenii doctrinam continuisse: notumque est Orbi Universo adhesionem ad Baii & Jansenii doctrinam, voluntarii apud Baravos exilii occasionem fuisse. Quis ergo dubitet quia eandem doctrinam *MAXIME* fidei congruere existimaverit; ac veluti talem mordicus ubique defenderit? Martino Lutero omnino similis est, qui apud Joannem Fischerum Episcopum Rosenfem, in *Constitutione Assertionis Lutheranae*, ita loquitur: (2) *Hodie protestor me non esse mihi conscium aliquid dixisse, quod sit contra Sacram Scripturam, Ecclesiasticos Patres, aut Decretales Pontificum, aut rectam rationem.* Porro Quæsnellus paulo post illam protestationem, Amstelodami in Hollandia, quo se receperat, mortuus est (3): pertinaci sua contra Ecclesiam rebellionem sequens meritus.

E P I T A P H I U M.

Hic jacet

PASCHASIVS QUÆSNELLIVS

Anagnina

QUI HELENAS, LUPUS, SISCIA

id est

Hellenista Schismaticus, Lupus Hæreticus,

Ecclesiæ Lues,

Patriæ suæ Incentor,

Velut alter SISCIA Bohemicus.

C A P. III.

De gratia Adami ante peccatum.

§. I.

Propositio Quæsnelliana, consura notata.

Gratia Adami est sequela creationis; & erat debita naturæ sanæ & integre. Est 35. Quæsnel. 2. Cor. 5. v. 21.

I. Nominē gratiæ hic intelligendæ veniunt prærogativæ illæ omnes ac præminentiar, quibus a Deo Adamum fuisse dotatum ex Scripturis Theologi colligunt. In felicissimo illo statu,

nulla erat in Adamo ignorantia veri, difficultas nulli recti. Ornatus universalissima scientia; quam Augustinus alibi colligit ex nomine ab Adamo singulis animantium speciebus imposito; voluntatem habebat Deo perfecte subiectam; vires inferiores concupiscentiæ rationi. Poterat non peccare, poterat non mori, poterat bonum non deserere. Ad peccando, & bonum non defendendo, pervenisset ad illum felicissimum beatitudinis statum, in quo peccare aut mori jam non potuisset, aut bonum adeptum deserere. *Tales vires*, inquit Augustinus, (4) *habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipso & concupiscentialiter resistebat; ut digne tanta bonitati, & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium.* Hæc omnia hic veniunt nomine gratiæ. Sed per Quæsnellum proprie ac vero gratiæ non sunt, quia debita natura sanæ & integre: imo sequela creationis; magno Augustino teste (5) *Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Et iterum: (6) *Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia si ex debito redditur? Denique (7) Gratia . . . nisi gratuita, non est gratia.*

II. Quæsnellus quantum hic ad Bajum accedit; tantum ab Augustino, Thoma, verbo SS. Patribus, & communi Theologorum, imo Ecclesiæ sententia recedit. Ab Augustino quidem: nam hic de *Genes. ad lit. Adam*, ait, (8) *mortalis erat conditio corporis, immortalis BENEFICIO Conditoris.* Item, (9) *De cor. & grat. Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imo vero habuit magnam, sed dispavim. Ille in bonis erat, quæ BONTATE sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus profusus nullum patiebatur malum.* Ubi dum exclusit meritum ut stabiliat gratiam, omne debitum excludit, juxta superius allatam ejusdem S. Patris sententiam: *Non enim Dei Gratia erit ULLO MODO nisi gratuita fuerit OMNI modo.* Quid, quod de Angelis loquens, de nobilissimis illis spiritibus dicat: (10) *Deus simul erat eis & condens naturam & LARGIENS gratiam: subiungiturque: confidendum est igitur, cum debita laude CREATORIS, non ad solos Sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis: quibus verbis dona Angelis in creatione collocata, ut possent ad finem suum, id est beatitudinem pervenire, veram gratiam, ex largitate seu liberalitate Conditoris promanantem, adeoque indebitam prædicat: & credemus dona homini, eundem ob finem collata, fuisse naturæ ejus debita? Absit. Utrisque quod datum est, ex largitate, ex liberalitate, ex bonitate, ex beneficio Conditoris datum est: id est, utriusque gratia proprie dicta collata est. Deus erat eis & condens naturam (utique & quæ naturam sequuntur: nam qui dat esse dat consequentiam ad esse) & largiens gratiam. Aliquid ergo in eis fuit ultra naturam; quod specialiter largitari divinæ adscribitur.*

III. De S. Thoma id non minus constat. Gratiam Adamo in statu innocentie collatam fuisse probat; eandemque fuisse mentem SS. Patribus ac Theologis, quamvis hi non nihil circa tempus quo collocata fuit differant, affirmat: (11), *Dicendum, inquit, quod quidam dicunt, quod primus homo non fuit creatus in gratia, sed tantum postmodum gratia fuit sibi collata antequam peccasset. Plurima autem Sanctorum auctoritates attestantur hominem, in statu innocentie gratiam habuisse.* Sed quod fuerit conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa res, ut

(1) Die 11. Jul. 1705. (2) De Reg. jur. in 6. (3) Vit. Clem. XI. lib. 4. n. 39. (4) Ibid. (5) De dono Peril. cap. 20. (6) Vit. Clem. I. 4. n. 63. (7) Ibid. num. 61. (8) Lib. 4. num. 37. (9) Vit. Clem. I. 5. n. 24.

(1) Vide hic num. 22. & 24. (2) Procem. §. 3. (3) 2. Decemb. 1719. (4) De cor. & grat. cap. 12. n. 37. (5) De pecc. Orig. cap. 24. n. 28. (6) De grat. Chr. cap. 23. (7) Cap. 31. (8) Lib. 6. c. 25. n. 36. (9) Cap. 11. (10) Lib. 12. de Civit. Dei c. 9. (11) I. p. q. 95. art. 1.

conditio primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Erat enim rectitudo secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem subjectio erat causa & secundæ & tertiæ. Quamvis enim ratio manebat Deo subiecta, inferiora ei subdebantur: ut Augustinus dicit. Manifestum est autem quod illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis: alioquin post peccatum mansisset; cum etiam in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanerint, ut Dionys. dicit 4. *de divinis nominibus.* Unde manifestum est quod & illa prima subjectio, quæ ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum **SUPERNATURALE DONUM gratiæ**: non enim potest esse quod effectus sit potior quam causa. Unde Augustinus dicit lib. 13. *de Civit. Dei* cap. 12. *Quod postquam præcepti facta transgressio est, concessim gratiam deserente divina, de corporum suorum nuditate consensu sunt. Senserunt enim motum inobedientie carnis suæ, tamquam recipiam penam inobedientie suæ.* Ex quo datur intelligi, si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, quod per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur. Nihil luculentius in rem nostram proferri poterat. Nempè ex his constat ita commune fuisse inter Theologos S. Thomæ coævus, Adamum ante peccatum gratiam supernaturalem habuisse, ut de eo ne questionem quidem intuendam, sed eo velut certissimo supposito, inquirendum duxerit Angelicus, fuerint in ea creatus, id est, an eam in primo creationis instanti acceperit, an vero postea; ante peccatum tamen. In qua ultima sententia Augustinus aliquando fuisse videtur *De Genesi contra Manichæos*, dicens: (1) *Tunc spiritualis effectus est (Adam) cum in Paradiso, hoc est in beata vita, constitutus, præceptum perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur.* Igitur SS. Patres & Theologi S. Thomæ coævus, Adamum ante peccatum gratiam supernaturalem accepisse agnoscebant; idem docent moderni catholici & Ecclesiæ morigeri Theologi.

IV. Hoc solo titulo merebatur propositio Quenelliana notam temeritatis: quia contra torrentem Patrum & Theologorum. Accedit tamen aliud longe gravius, quod ab Ecclesiæ lata sententia contra Bajum; qui dum commune dogma reprobavit, fecerat emittere quid Ecclesiæ sentiat, quid habeat sana doctrina; longius recedat. Nota est *Baji* 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humane nature exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Item 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Quibus apprimè consonat, quam expendimus Quenelliana: nisi quod Quenellus Bajo non nihil audacior; cum debuisset alienis fieri periculis cautior; quod ille dixerat non esse indebitum, non est veritatis debitum, quod plusculum sonat, affirmare.

V. Quid impulerit Quenellum in hanc foveam, non difficulter ex articulo 24. (2) Lovaniensi, & sententia contra eundem, hic relatis colligitur. Nimirum credidit plerisque Bajii articulos continere germanam S. Augustini doctrinam; nec damnatos absolute uti falsos, sed velut scandalosos solummodo *illo tempore*; quos proinde modo resuscitare vetaret nihil: quo nihil pejus cessisse Jansenio, notavit Ex. Marrinos Steyart D. Lovan. (3) Utrumque autem sefellit futillis illa quorundam

vituperatio circa famosam *Communi* Constitutionis S. Pii V. Futillis, dico: equid enim futillus quam velle disputare unicum *communi* ex inderentia forte omittunt, dum totius contextus Constitutionis interpunctionem necessario exigunt? Atque ita se res habet. Nam si illa verba *Balle illius: Quas quidem sententias stricte coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas... damnamus, circumscriptimus &c.* Si, inquam, verba illa sine interpunctione seu virgula, post sustineri possent, legenda forent, sibi ipsi contradixisset Sapientissimus Pontifex. Hoc enim posito, nonnullæ Bajii propositiones, jam non *aliquo pacto, sed simpliciter, & absolute* sustineri possent: siquidem fieret sensus, illas in rigore & sensu proprio ab assertoribus intento, sustineri posse, quod sane idem est, ac posse absolute & simpliciter sustineri. Propositio enim, quæ ex vi sua, & in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, propagari potest, *absolute & simpliciter* defendi potest. Absurdissime etiam fingitur, Pontificem damnare sententias, quas ipse met in rigore & proprio sensu posse sustineri iudicat. Tandem non omnium retractationem articulorum a Bajo Pontifici nomine postulasset ac imperasset Toletus, si aliqua in rigore & proprio sensu ab Auctore intento sustineri potuissent. Legenda igitur verba Constit. Pii V. cum commate, pro ut eam superius exhibuimus: ut sensus sit: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, id est, in sanum sensum utcumque flecti; tamen in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento eos damnamus, circumscriptimus & abolemus.* De hoc sensu dubitare haud poterat Quenellus; utru fuerint olim circa hoc eruditorum divisa iudicia; postquam in Originali Gregorii XIII. diplomate, & Urbani VIII. Constitutione in eminenti &c. cum virgula leguntur. Hæc ex Natal. Alexandri *Hist. Eccl. tom. ultimo*, ubi de Bajo, excerpti: quo constat illum tacite retractasse, quæ *tom. 3. Sec. II. Dissert. XVI. §. XXI. ad 5. probationem* scripserat: ut bene notavit Constantinus Roncaglia in novissima illius Historiæ editione *Lucana*, loco primo citato pag. 174.

VI. Petit Theologia *Supplex* (4) declarari, fuerint illa quorundam Theologorum sententia in Quenello damnata, assentium gratiam supernaturalem debitam fuisse Adamo ante peccatum, *de congruo*, ut Theologi loquuntur, in Dei bonitate fundato; quia scilicet *suavi Dei providentiæ maxime congruere arbitrantur, ut dominem a se conditum, ad ordinem supernaturalem evehret, suæque gratiæ, supernaturali videlicet, cumulatæ.* Resp. Quod sicut illa sententia non fuit damnata in Bajo, ita nec fit in Quenello: quodque Theologi illi, ut se hac usque abunde secreverunt a Bajo, ita longe facilius se differunt a Quenello, qui uti notavi, Bajum audacia superavit; dicens *debitum*, quod ille solum non *indebitum* asseruerat; vocans *sequelam creationis*, quod ille *naturalem dixerat conditionem*. Itaque uterque damnatus est, quod gratiam veram & supernaturalem a statu innocentie eliminaret; omniaque dona Adamo collata, naturalia fuisse contenderit: a quo dogmate quam longissime Theologi illi abstant. Nec quemquam movet quod Bajus & Quenellus utantur nomine *gratiæ*: siquidem eo nomine etiam Pelagius, quamquam omnem veram *Supernaturalem* gratiam, saltem initio suæ hæresis, sustulerit, abusus sit; nomine *gratiæ* intelligens nonnisi naturalia dona. Idem est de illis posterioribus. Dum enim

enim asserunt, fuisse quiddam Adamo collatum est, aut conditiones naturales, aut sequelas creationis; eo ipso prætendunt non fuisse nisi meras naturales qualitates: quippe naturalis conditio aut sequela, nequit esse altioris ordinis ac ipsa sit natura, nequit sequitur, cujusque est naturalis conditio. uti ex terminis patet.

VII. Porro cum Quenellus nullam neget istarum prærogativarum, quæ communiter Adamo in statu innocentie attribuantur, puta, quod potuerit non mori, non peccare, vitam beatam i.e. Dei visionem mereri &c.: sciscitabitur forte aliquis, tanrumne intersit, dicamus illa naturalia aut supernaturalia fuisse; ut qui dicat naturalia, proficere mereatur? Resp. tantum scilicet interesse. Qui naturalia fuisse dicit, Deum redigit in ordinem naturalium, utpote, qui possit per vires naturales integras attingi, obtineri, possideri: sicque derogat infinitæ perfectioni, & eminentiæ divinæ supra omnem creaturam creatam aut creabilem, quam infinite semper excedere debet Deus. Derogat quoque bonitati ac liberalitati divinæ; quasi Deus nihil creature innocenti dederit, nisi quod negare non poterat: neque elevarit ad finem, omnem naturalem creaturæ rationalis capacitatem excedentem; cum scriptum sit: (1) *Oculus non vidit, nec quis audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Unde sequitur Quenellus prioris Dei ideæ defectu peccasse; sicque verum esse ostendit, quod graviter monuit noster Norbertus Van Bilsen in Univ. Lovan. S. T. Doctor & Germ. inferioris iterata vice Provincialis, in Theobis Theologicis *De Deo & attributis*, videlicet: *Vix Sektam seu veterem seu novam Ecclesiæ infestam videas, quæ serius aut citius in male efformato Dei ideæ scopulum alicubi non impingat, quæque hac una emendata non in rebus gravissimis manifeste convincatur.* Denique ea Quenellus propositio sensum vel in Pelagianismum, vel Lutheranismum præcipitat. Si enim dona quibus Adam ad vitam beatam poterat pervenire, nonnisi erant naturalia; dicam, cum ergo naturalia manserint integra post peccatum; uti ex S. T. diximus, etiam in Dæmonibus; poterit & ego viribus naturæ illius pertingere. En Pelagianismum. Vel dicam e contra: cum facultas merendi per peccatum totaliter perierit, si hac erat potentia naturalis liberi arbitrii, perierit ergo peccato liberum hominis arbitrium perierit liberitas. En Lutheranismum. (2) Merito ergo hæc Quenelliana, juxta regulam 2. (3) superius assignatam, proscripta est.

VIII. Pro confirmatione eorum quæ hæcenus dicta sunt, facit sequens S. Thomæ Doctrina. (4) *Dicendum quod gratia secundum quod gratis datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera, secundum illud ad Rom. 4. Et qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam. Aliud est debitum secundum conditionem nature: puta si dicamus debitum esse homini quod habeat rationem & alia quæ pertinent ad humanam naturam. ... Dona igitur naturalia carent primo debito; non autem carent secundo debito: sed supernaturalia utroque debito carent: & ideo specialius sibi nomen gratiæ vindicant.* Manifestum autem est, quod gratia quam statuit hæc propositio in Adamo, non caret secundo debito; cum expresse dicat debitam fuisse Adamo, ejuoque creationis sequelam. Non erat ergo gratia *supernaturalis*.

IX. Solet objici Augustinus lib. *de Quæst. v. novi test. q. 123.* dicens: *Quid tam apertum, quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum?* Ergo non habuit gratiam supernaturalem; sed gratia quæ in eo fuit, erat sequela creationis, conditio naturalis naturæ innocents, non donum gratuitum. Resp. cum nostro Eminen. Card. Gotii: (5) *Librum illum non solum non esse Augustini, cum diverso stilo contineat doctrinam Augustinianæ oppositam: sed nec esse alicujus auctoris catholici, cum plura in hoc libro habeantur, quæ hæretica sunt, aut erronea: ut Quæst. 2. Quod Deus invidia Diaboli mundum condiderit: Quæst. 21. & 45. Mulierem non esse creatam ad imaginem Dei, quod etiam est contra Augustinum lib. 3. de Genesi. ad lit. c. 22. — Quæst. 79. 80. & 83. Pelagianam hæresim sapere videtur; & alia quæ eruditissimi Patres Maurini in annotatione dicto libro præfixa observant. Qui propterea conjectant, librum illum potius esse ferum Hilarii Sardi, Diaconi, secta Luciferiani, cui tribuantur quoque *Commentaria in epistolam Pauli*, olim sub nomine S. Ambrosii evulgata.*

X. Rursum objiciunt Augustinum de Adamo dicentem: (6) *Namque ut recipere bonum, id est beatitudinem, gratia non egebat.* Resp. Quidquid sit an per bonum intelligat S. Augustinus beatitudinem, manifeste eo loci Augustinus adstruit necessitatem gratiæ, antonomastice ac catholice sumptæ, etiam in Adamo: & quidem duplicis; unius qua possit, alterius qua vellet. Prima tamen, inquit Augustinus, non indigebat: non quod ea opus non haberet, sed quia habebat, sive, ut verbis ejus utar, quia nondum perdidit: ut autem in eo (quod habebat) permaneret, egebat *adjutorio gratiæ*; ecce secundum gratiæ genus: quod quia non receperat, licet opus haberet, eo, inquit Augustinus, egebat: illius enim proprie eger dicimur, cujus inopia laboramus. Secundo igitur gratiæ genere indigebat Adam, non primo: quia hoc non illud habebat, utrumque tamen erat ei necessarium. Hoc ex verbis S. Patris, si integre legantur, manifestum fiet. Ait enim: (7) *Est qui prope in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut recipere bonum, gratia non egebat, quia nondum perdidit: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse si vellet; sed non habuit velle quod posset: nam si habuisset, perseverasset.*

§. I. I.

Propositio Quenelliana, censura notata.

Gratia Adam non producebat, nisi merita humana. Est 34. Quenell. 2. Cor. 5. v. 21.

XI. Huic propositioni sequentem annectit observationem auctor *Theob. Suppl.* (8) *Phrasis est Augustini lib. de prædest. SS. cap. 15. „Humana hic merita conticescant, quæ perierunt in Adam, Erant igitur ex Augustino in Adamo innocente humana merita, quæ postea illa peccante perierunt, ut talia jam non reperiantur in nobis, quæ tamen Adami merita, non idcirco humana a S. Doctore dicta sunt, quod humane duntaxat naturæ viribus parta essent, absque ullius*

(1) I. Cor. 2. 9. (2) V. Res. in fin. capit. (3) Cap. 2. §. 1. n. vi. (4) I. 2. q. 111. ar. 1. ad 2. (5) Tom. 6. Theolog. Quæst. 3. dub. 2. §. 5. (6) De corr. & grat. cap. 11. prope. finem. (7) Loco cit. (8) Pag. 163.

gratia supernaturalis adjutorio; (Adamus enim innocens, non nisi cum gratia & per gratiam meruit, si quid meruit; qualiscumque illa fuisse dicatur, juxta varias Theologorum opiniones) sed quod liberum hominis arbitrium, ut pote suapte natura fortius ac robustius majores tunc ad meritorum partes haberet, quam habeat nunc laesum & vulneratum in nobis. Quid itaque in hac phrasi Augustiniana Clementi displicuerit, rescire optant quotquot de S. Doctoris honore solliciti sunt, ut rectam illius intelligentiam accipiant. Ita ille: non reflectens ad sensum, sed sonum verborum, qui, fateor, occurrit in Augustino, loco ab ipso citato: est sensus Quenellianus minime. Quenellus in Adamo non nisi humana merita fuisse asserit, quod humana duntaxat naturae viribus parta essent, absque ullius gratiae supernaturalis adjutorio. Quippe supernaturalis adjutorium in Adamo fuisse negat, solum admittens gratiam, qualem nec Pelagius negavit, quae sequela creationis, & debita naturae fuerit, quo sensu intellectus, voluntas, libertas, membra ac cetera anima humana vires, dici queant gratia; quatenus gratis, nullis meritis precedentibus dantur, ut quod non sufficit ad rationem gratiae supernaturalis, prout ex S. Thoma sub finem §. praeced. vidimus. Verbo, non admittit Quenellus in Adamo gratiam Pelagianam, id est naturalem, quod ex dictis ad propositionem precedentem satis puto constare. Augustinus autem ab hoc sensu quam longissime recedit, ut etiam fateatur Auctor Theol. Suppl. in verbis supra adductis: & si negaretur, probari insuper posset eam ex dictis §. 1. quam ex Lib. 3. contra Maximinum, ubi ait, hominem ideo fieri gratia filium Dei, quia non est natura. Iterum cap. 106. Enchir. Sine gratia nec tunc (in statu innocentiae) ullam meritum esse posuisset. Quia est peccatum in solo libero erat arbitrio, non tamen iustitia retinenda succedebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinorum adjutorium preboretur. Ubi clarissime distinguit a natura, ejusque facultatibus nedum gratiam qua homo fit filius Dei, sed illam etiam a libero arbitrio discernit, qua indigebat Adam ad iustitiam retinendam. Addamus & tertium locum De nar. & grat. c. 43. ubi relatis Pelagii verbis: Quod non peccare nostrum sit, posse vero non peccare, non nostrum; addit: Si de integra & sana hominis natura loqueretur. . . nec se recte diceret quod non peccare nostrum tantummodo sit (uti dicit Quenellus) quamvis peccato nostrum esset. Nam & ibi esset adjutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adjuti viderent, se preberet volentibus. Accedat etiam S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 2. c. dicens: Nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vite aeternae (uti erant actus virtutum Adam) nisi superaddatur aliquod SUPERNATURALE donum, quod GRATIA dicitur.

XII. His rutilissimis relictis ducibus, Bajum sequi maluit Quenellus; cui etiam absurda est eorum sententia visa, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito super conditionem naturae fuisse exaltatum, ut fide & spe & charitate Deum supernaturaliter coleret. Est 23. Bajana. Respondetur igitur Auctori Theol. Suppl. in ea phrasi Quenelli, quae Augustini non est, nisi admodum materialiter, displicuisse & displicere sensum Pelagianum & Bajorum, hic & §. praeced. explicatum. Sensum, inquam, quem ipse Auctor Theol. Suppl. reprobavit, verbis mox relatis: Adamus enim innocens non nisi cum gratia, & per gra-

(1) Lib. 2. de grat. Chr. cap. 15. (2) Cap. xi.

tiam (utique supernaturalem, ut praemisera) meruit, si quid meruit &c.

XIII. Cur ergo, inquit, vocabit Augustinus merita Adami humana, non nostra; si ad utraque exigat gratiam supernaturalem? (1) Janfenius postquam dixisset, ad merita Adam & Angelorum concurrere gratiam habituales, imo & actualem, illudque apertissime certissimeque Augustinum docuisse, putat ideo Adami merita vocata ab eodem S. Patre fuisse, humana; quod gratia illius status esset indifferens, versatilis, & subiecta, quoad determinationem, libero arbitrio. Sed hoc principium funditus evertit noster S. patiens. M. Serry, multis praclaris sub eius nomine editis libris Republicae litterariae notissimus, in Augustino consiliato. (2) Alii aliis modis respondent. Perplect duplex solutio quam opere cit. exhibet Serry noster: Ubi simul explicat aliam ejusdem S. P. auctoritatem, dicens, gloriam Angelorum & Adami esse & futuram fuisse mercedem meriti, quae nobis gratia donum est. Dicit ergo primo; Augustinum planam, absolutamque antithesim iis in locis minime posuisse, nec Angelorum hominumque innocentium gloriam, mercedem meriti stricto sensu dixisse, ut gratiam efficacem excluderet, cuius ope fuerint ea merita comparata: nec innocentium hominum merita stricto sensu humana vocasse; quasi & ipsa gratuita quoque non fuerint, hoc est, ex gratia profecta. Sic enim omnia sua deque miscuisset, quod de summo gratiae doctore suspicari nefas est. Imo quemadmodum dum gloriam lapsis hominibus conferendam, gratia donum appellat, mercedem tamen meriti esse non differtur; alias sibi caput, quo gloriam etiam nobis obventuram, coronam iustitiae credimus, abnegaret: rursusque dum merita nostra gratuita, seu ex gratia profecta dicit esse, ea tamen humana, seu humanos actus esse non negat: alias horrendum induceret paradoxum; ita dum Angelorum gloriam mercedem meriti nuncupat, donum quoque gratiae esse omnino non negat: hominibusque innocentibus merita, humana dum vocat, gratuita quoque dona esse, non differtur omnino. Ad certum itaque modum antithesim ponit S. Doctor, idque sibi vult unum: facta gemini status comparatione, longe magis ad merendum, premiumque reportandum valuisse sanam integramque naturam; paucioribusque titulis fuisse efficacem gratiam necessariam: naturam & contrario vitiatam atque corruptam pluribus titulis efficacem gratiam postulare; minusque nunc ad merendum, premiumque reportandum, propriam habere virtutem. Quamquam utroque in statu & agat natura, & adjuvet gratia. Priori ergo in statu abundat meritum, nec tamen deficit gratia: in altero abundat gratia, nec tamen deficit meritum. En tibi a D. Augustino positam antithesim, ab eo quod utroque in statu majus est, non ab eo quod solum fit, explicatam.

XIV. Ait deinde idem M. Serry. . . Potuit & alio titulo Augustinus hominis innocentis merita, humana dicere, etsi propterea non negat esse gratuita, hoc est, ex gratia efficaci profecta. Quod nimirum ab homine agente ut homine fuerit comparata, longe aliter quam hunc merita comparantur. Innocens quippe homo, iustitiaeque originali instructus, opera iustitiae dum edit, agit secundum naturam suam statum, agit inquam, ut homo, & quidem qualis reipsa tunc

tunc est, ex sua ipsius origine innocens: eaque ratione meritum quod sibi his operibus comparat, humanum non incongrue vocatur, quamquam sine gratia efficaci esse non possit. Homo e contrario lapsus, iustitiaeque originali exutus, si qua iustitiae edit opera, supra naturae suae conditionem operatur; nec jam agit ut homo, qualis reipsa nunc est, lapsus nimirum, ac lapsus: eaque de causa meritum iis operibus partum non tam humanum est, quam divinum; nec tam hominis dicitur esse, quam gratiae: etsi non possit utriusque non esse. Haec ex praememorato illo Auctore describere volui, tum quod nitidam & claram continent loci illius explicationem, tum ut constet quanta vi ingenii polleat ad extricandos nodos quoscumque, est intricatissimos. Quapropter semper optavi & opto vehementissime, ut idem Auctor, qui toties Augustinum a calumniis vindicavit, calammum suum elegantissimum exeret, ut eundem ab impacta per Theologiam Supplicium calumnia, quod sub Quenelli corio valupasset in Const. Unigenitus; imo Apostolicam Sedem a damnati Augustini criminatione liberam ostendat.

XV. Quid si diceremus Augustinum vocasse merita Adami, humana, quia naturalibus ejus viribus facta? Sed addendum necessarium ex S. Thoma 3. p. q. 2. art. 12. c. Naturale dupliciter dici: accipit verba S. Doctoris. (1) Dicendum, quod secundum Philosophum natura uno modo dicitur ipsa naturitas: alio modo essentia rei. Unde naturale potest aliquid dici dupliciter. Uno modo, quod est tantum ex principis essentialibus rei; sicut igni naturale est sursum ferri: alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab IPSA NATIVITATE habet, secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filii irae. Et Sap. 12. Nequam est natio eorum, & naturalis malitia eorum. Gratia igitur Christi sive unionis, sive habitualis, non potest dici naturalis, quasi causata ex principis humana natura in Christo: quamvis possit dici naturalis, quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divina natura ipsius. Dicunt autem NATURALIS utraque gratia in Christo, in quantum cum a NATIVITATE habuit, quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinae personae unita, & anima ejus fuit munere gratiae repleta: Hoc ergo sensu dico merita Adami ex viribus gratiae SUPERNATURALIS effecta; quod ex viribus gratiae supernaturalis, quae ab initio creationis ei infusa fuit. Unde cum illud optime dicatur humanum, quod ex viribus naturalibus hominis fit, quocumque ex capite dicantur naturales: merita Adam vocavit humana Augustinus, non item nostra, ob oppositam rationem.

XVI. Hoc intendisse Augustinum eo loci, colligi posse videtur ex eo quod liber ille de Praedest. SS. sit responsivus ad epistolam Prosperi & Hilarii. Porro in illis epistolis, caetera inter, refertur, placuisse Massiliensibus, quod dona collata Adamo, non ita per peccatum interierint, quin remanserit adhuc aliqua eorum quasi scintilla: vel quod pertineat ad conditionem uniuscujusque hominis habere virtutem, qua possit sibi viam aperire ad iustitiam: quorum alterum si verum foret, negari non possent merita humana, seu naturalia; sensu superiori explicato. Id videtur aperte dicere Prosperi his verbis: (2) Ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere in qua cum nihil prius merentem . . . gratia creatoris instituit, ut . . . possit . . . ad hanc gratiam, qua in Christo remiscimur, pervenire; per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando: ut Serry Tom. V.

ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introcat, quia bono natura bene usus, ad istam salvantem gratiam, INITIALIS gratia epe meruit pervenire. Refert quoque Hilarius eos dixisse: (3) Nullam ita depravatam vel extinctam (naturam) ut non debeat, vel possit se velle sanari; propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit, cum sua aegritudine puniatur. Ad haec respiciens Augustinus: (4) Humana hic merita, inquit, conticecant, quae perierunt per Adam, & vegnet quae regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Quasi diceret: Nihil illius principii ex quo Adam merita prodibant, in nobis remansit; totum perierit per Adamum; cuius merita dici poterant humana, quia ex viribus naturalibus, id est, ab origine inditis fluebant. Neque nobis etiam in animae infusione vel creatione aliquid merendi vel salutem inchoandi principium inseritur, uti fuisset, Adamo non peccante, factum: quapropter merita humana conticecant, quae perierunt per Adamum. At vero Quenellus merita Adam vocavit humana, quasi profecta ex viribus naturalibus primo modo sumptis; quae videlicet essent sequela creationis, & debita naturae sanae & integratae. Haec verba usque adeo sunt aperta & clara, ut eis quidquam addere, foret obscura reddere. Hinc merito damnatus est, intracto proflus Augustino. Si objicias, solutionem hanc non coherere cum num. 3. §. 1. ubi dictum; Quod Augustinus existimaverit Adamum tum demum gratia fuisse donatum, quando in Paradiso collocatus, non quando creatus fuit: In promptu responso est ex Lib. 1. Revell. cap. 10. ubi agens de doctrina quondam tradita De Genesi contra Manicheos ait: Nec illud Apostoli: (5) Factus est primus homo Adam in animam viventem, sicut ille voluit intellexi. . . . Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium, ut probaret esse corpus animae: male ego autem tunc putavi monstrandum animae factum prius hominem, non corpus hominis solum. Si rursus dicas Augustinus de corpore & grat. c. 10. asserere, quod Deus sic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium &c. Resp. S. T. (6) inde non inferri quod Adam non fuerit in gratia creatus; sed quod non fuerit in ea confirmatus.

§. III.

Propositio Quenelliana censura notata.

Differentia essentialis inter gratiam Adam & status innocentiae, & gratiam christianam, est: quod primam unusquisque in propria persona recepit, ista vero non recipitur nisi in persona Christi resuscitati, cui uniti sumus. Est 36. Quenell. Rom. 7. v. 4.

XVII. Haec propositio intelligi posset vel de gratia habituali, vel de actuali: Utrovis modo sumatur, meritissimo jure damnata est. Primo sensu accepta, statim ingerit menti dogma de iustitia Christi nobis imputata. Gratia christiana, inquit, non recipitur NISE in persona Christi. Quid hoc aliud sonat, quam nobis iustitiam non inhærere, sed Christo? Si tamen etiam nostra fit, erit profecto imputatione, non inhæione: quod in Luthero damnavit Tridentinum. (7) Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum, per Spiritum

M m ritum

(1) 5. Methaph. textu 5. (2) Num. 4. (3) Nam. 2. (4) Cap. 15. de Praed. SS. (5) Lib. 2. c. 8. (6) 1. p. q. 95. art. 1. ad 3. (7) Sess. 6. cap. 11.

gratum Sanctum diffundatur, atque illis INHÆ- REAT; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

XVIII. Theologia Supplex propositionem ita interpretatur pag. 159. Verum ea loquendi formula duplicem sensum ferre potest: Calvinianum unum, quod nempe gratia sanctificans, seu iustitia nobis nequaquam inhæreat, sed uni Christo Domino; quæ nobis idcirco dumtaxat imputetur & applicetur externe: Apostolicum alterum, quod gratia sanctificans, quantumvis nobis inhærens, non tamen titulo nostro, ratione nostri recipiatur in nobis; sed Christi Domini Salvatoris merito, a quo tanquam vite & capite in nos, velut in membra ejus & palmites, derivatur atque transfunditur. Sic sane non in persona nostrum omnium propria, recepta dicitur gratia, sed in Christi persona; ad eum ferme modum, quo urbis præfectus & rector claves urbis recipere dicitur, non in persona propria, sed Principis. Sed interpretatio hæc, ut ut ingeniosa, præterquam sit omnino voluntaria (quo enim fundamento asseritur Quesnellum hæc intendisse?) & aliis Quesnelli propositionibus, & verbis ipsiusmet propositionis repugnat: nec tam benignam interpretationem meritis restitit: neque propositionem omnino innoxiam reddidit. Probo singula.

XIX. Cum variis repugnet hæc interpretatio Quesnelli Theobus, duas solum hic adferam. Prima est 37. Gratia Adami sanctificando illum in semet ipso, erat illi proportionata &c. Ex qua sic argumentor. Si de mente Quesnelli foret, gratiam nobis intrinsece inhærente, negare non potuisset quod ea sanctificaremur in nobismet ipsis, sitque nobis proportionata: uti evidens est ex terminis: sed hæc negantur a Quesnello, dicente, fuisse propria gratia Adami: repugnat ergo huic 37. propositioni adducta interpretatio. Altera sit propositio 43. asserens primum effectum gratia baptismalis esse ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor; sensus non habeant plus vicia pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi. Nunc sic arguo: Si gratia nobis inhæretet juxta Quesnellum, deberet nobis effectum suum primum, ut minimum, impertiri: sed hunc gratia e. c. baptismalis, minime nobis communicat: quis enim mortalium ita, ut ait Quesn., mortuus est peccato? ergo idem quod prius. Deinde est interpretatio illa contraria ipsiusmet propositionis verbis: Gratia Christiana, inquit, non recipitur NISI in Persona Christi. Nisi, inquit, nisi: quod excludit omne aliud subiectum a participatione attributi. Unde, etiam Quesnellus expressis verbis adduxisset interpretationem, quam ei Auctor ille commodat: propterea ejus assertio non esset recipienda ut catholica. Possent enim dicere, quod, quemadmodum præfectus vel rector claves quidem Civitatis recipit, dominium autem & jus indicatum per claves, non est in præfecto, sed Principe, cujus personam gerit præfectus, ita, licet fideles, v. g. recipiant Sacramenta, quæ sunt signa gratia, gratia tamen non eis, sed Christo inhæreat. Accedit quod differentiam assignatam, dicat esse essentialem: porro gratiam nobis impertiri meritis Christi, aut meritis Adami, aut quocumque alio ex capite, accidit gratia, differentiamque essentialem constituere nequit. At vero gratia accepta pro forma inhærente, & pro denominatione extrinseca, sumpta a forma existente in altero, differunt essentialiter: sicut visus inhærens animali, & denominatio extrinseca attributa lapidi v. g. viso, essentialiter differunt. Ne-

cessario ergo intelligenda venit propositio de gratia imputata, non inhærente; repugnante dicta interpretatio aliis propositionibus Quesnelli; & verbis ipsiusmet propositionis: quod erat probandum.

XX. Quod tam benignam quoque interpretationem meritis non sit, docet nos Augustinus in Pelagio: qui licet hinc inde quibusdam phrasibus, catholicis sensus susceptivis uteretur; nunquam in meliorem, sed in pejorem semper partem illas Augustinus interpretatur; ut lib. de grat. Christi videre est. Quidni idem faciamus in Quesnello, cum sit utrobique eadem, seu par ratio? Fugit Pelagius ex Italia in Palestinam, timens sibi ob suam doctrinam; fugit Quesnellus & Gallia in Belgium, eandem ob causam. Infamatus erat ille & accusatus de variis erroribus; fuit & iste, etiam sententialem damnatus. Obscure loquebatur ille; item & iste: cum tamen Quesnellus præ Pelagio debuisset loqui clarius, utpote scribens in Gallia, ubi olim Calvinismus floruit; ac etiamnum (si famæ publicæ credimus) non exigua Calvinistarum manus occulta latet, Exori circa fidem errores, inquit Angelicus, occasionem dederunt Sanctis Ecclesia DD., (1) ut ea que sunt fidei, majori circumspectione traderent. Et ideo non est mirum, si moderni fidei doctores, post varias exortos errores, cautius & quasi eliminatis loquantur circa doctrinam fidei. Quidni id fecit Paschasius? Sibi ergo imputet, si eum exponimus, uti Augustinus Pelagium.

XXI. Verisimile non est, inquit, Quesnellum, errorem Calvinii in mente habuisse. Non queritur quid in mente gestaverit, sed quid in libro suo expresserit. Jam vero error supradictus etiam in aliis propositionibus se manifestat. Equid enim sibi vult prop. 73. Ecclesia est cœtus fidelium adaptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona; quæ ultima verba erant Theol. Supplex, scribens, subsistentium in ejus Spiritu? (2) Quid prop. 37. Gratia Adami sanctificabat illum in SEMETIPSO... gratia Christiana nos sanctificanda in Christo Jesu &c. Reponesne, phrasim esse Apostoli, nos sanctificari in Christo Jesu? Sed dic, fides, ubi gentium utitur. Apostolus tali antithesi, ut dicat, gratiam Adami sanctificasse ipsum in semetipso, nos vero in Christo sanctificari? Sane ut subsistat antithesis, negatur oportet de nostra, quod de illius gratia affirmatur. Si ergo gratia Adami sanctificabat illum in semetipso; nihil superest, nisi ut gratia nostra nos non sanctificet in nobismet ipsis, sed extrinsece nobis imputetur. Hæc omnia simul juncta, si non significant & continent ipsissimum errorem a Tridentino in Luthero & Calvino damnatum; ad minus hunc errorem sapiunt, suspecta sunt violenter, male sonant, offensionemque in legentium cordibus causare nata sunt: attento vel maxime, canalem, ut phrasim utar nostri Illustris. Melchioris Cano, per quem transierunt propositiones illæ, non esse admodum purum, quo fit ut male & sapiant & oleant, juxta regulam nostram quartam. (3)

XXII. Sed liberalius paulo agamus. Demus gratias, erroris illius nullum hic esse favorem: demus, propositionem ita intelligendam, ut vult Theologia Supplex; hæc omnia gratia data non reddunt propositionem innoxiam. Adhuc enim adheret ei virus duobus §§. præcedentibus expositum, nempe, quod gratia Adami fuerit sequela creationis, debita illi & nobis, si status ille perseverasset. Quippe, si gratiam hujus status recipi in persona Christi, idem sit, ac dicitur Christi Domini Salvatoris merito, ut vult Theol. Suppl. gratiam

tiam recipi in persona propria, idem significabit, quod, eam dari meritis uniuersisque personalibus; id est, fuisse mere naturalem gratiam, naturæque innocenti & integra debitam. Unde eodem titulo ac præcedentes propp. scribi debuit; tanquam naturam, seu propriam ideam & notionem gratia destruens: dicente Augustino, Gratia... nisi gratuita, non est gratia. Et iterum. (1) Non enim Dei gratia, gratuita erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.

XXIII. Quod si prætendat quis, propositionem hanc de gratia actuali, seu operationis intelligendam esse; nec sic evadit innocens: siquidem ob ultimas particulas: Cui uniti sumus, significaret gratiam actualem nullam dari, nisi unitis Christo per fidem & caritatem. Quo sensu non minus meretur proscribi, quam propp. 26. 27. & 28. quæ fidem esse primam gratiam, nullam dari gratiam ante fidem, primam gratiam remissionem esse peccatorum affirmant. Deinde, sic accepta propositio, significaret gratiam actualem, non esse aliquid intrinsecum, sed extrinsecum animæ: putata, voluntatem Dei, aut Christi, quod etiam affirmant propp. 11. 19. 20. unde eodem ac ista jure proscribi merebatur. Quocumque ergo modo fumatur propositio, juxta regulas 1. 2. & 4. superius assignatas, (2) proscribi debebat.

XXIV. Pro dilutioni hujus & sequentis propositionis non erit abs re notasse: Bajum novam quandam (cum Joan. Hesselio... novam viam tenere, & ad novitates declinare cooperat, ait Lud. Daus Doct. Lovan.) (3) justificationem ideam excogitasse, quæ nec Catholica, nec Lutherana aut Calvinistica, sed mixta sit; ut ei, quod olim Propher Cassiano, dicere possumus: Sed nec cum hereticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est... Tu informis nescio quid tertium, & utriusque partem inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. Nempe heretici illi, gratia sanctificante, animam inhærente abiecit, nos justificari eam, per justitiam Dei nobis imputatam; dum eam fide; qua certo credimus Deo nos reconciliatos & gratos esse; velut manu quadam apprehendimus; rejecta simul bonorum operum & sacerdotalis absolutionis necessitate. Bajus, quo se ab illis discerneret, operum quidem necessitatem, atque absolutionis adstruit: negat tamen gratiam animam insulam atque inhærentem, qua adoptemur in filios Dei, & secundum interiorem hominem renovemur, ac divina consortes naturæ efficiamur: uti ex prop. ejus 42. apparet: justitia qua justificatur per fidem ejus, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ insula, qua adoptatur homo in filium Dei &c. idem asserit prop. 69. Habemus hic necessitatem operum ad justificationem, præter fidem. Absolutionis vero sacerdotalis necessitatem inde colligit, quod per illam operum justitiam, homo justificetur quidem, sed reatus pœnæ peccatis debita non tollatur, nisi Sacerdotis absolutione: unde nisi accedat illa, justificationis fructum assequamur nunquam. In hominibus penitentibus, ait Bajus prop. 43. ante Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. Et prop. 57. asserit, Sacerdotis absolutione reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

XXV. Systema hoc totum relucet in Quesnello (quem scimus ex cap. 2. §. 2. Bajo fuisse adductissimum) hoc solum dempto, quod non expressit Tom. V.

(1) De grat. Chr. c. 31. De pecc. Orig. c. 24. n. 28. (2) Cap. 2. §. 1. p. 40. (3) Tempor. Notio. mihi pag. 379. Lib. con. Collat. c. 3. (4) Lucæ 15. a. v. 17. (5) In form. Doct. com. Baj. c. 10. (6) Cap. 2. §. 7. Pag. 161. (8) Ibid.

se meminere, ubi omnes gradus conversionis peccatoris recenser, absolutionis sacerdotalis. (4) Ex hac parte præ Bajo propius accedit ad Calvinium. Reliqua Bajani systematis principia non obscure tradit: quippe hæc prop. 36. asserit gratiam qua justificamur, non in propria persona, sed nisi in persona Christi non recipi; sequenti vero propositione, nos sanctificari in Christo, Adamum vero in se ipso fuisse gratia sanctificatum: gratiam fuisse illi proportionatam; nostram esse omnipotentem & dignam filio Dei: quibus nihil fere clarius dici poterat ad rejiciendam gratiam nobis inhærentem, & adstruendam Bajanam operum justitiam. De primo ergo ad ultimum, non minus proscribi merebatur hæc Quesnelliana quam quadragesima secunda & 69. Bajana: de quibus S. Fac. Th. Lov. sequens olim vulgavit judicium. (5) Nec verum est, imo etiam doctrinarum litterarum doctrina contrarium est, justitiam... consistere formaliter in obedientia mandatorum... ut non in gratia aliqua animæ insula... quam declarat ille ad Titum Pauli locus... (6) Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde per J. C. Salvatorem N., ut justificati hæredes simus &c.

§. IV.

Propositio Quesnelliana, censura notata.

Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia christiana nos sanctificando in Christo Jesu, est omnipotens, & Deo digna. Est 37. Quesnell. Ephes. 1. v. 6.

XXVI. S. Hieronymus epist. 65. ad Pamachium & Oceanum, Heretici, inquit, sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua queque concinnant, ut nostram & adversariorum confessionem teneant: ut aliter hereticus, aliter catholicus audiat; quasi non eodem spiritu & Apollo Delpheus, atque Loxias oracula suderit Cræso & Pyrrho doctoris temporibus: sed pari illudens stropba. Hoc stragemate videtur usus Quesnellus, tum alibi, tum in hac præsertim propositione conscribenda: tam multa, tam varia confuse agglomerata, ut vix scias quid velit. Dubitari nequit quin agat de gratia sanctificante Adamum, & nos in Christo: (unde id etiam fatetur Theologia Supplex (7) quamvis addat, obiter id fieri) addit tamen aliud, quo videri possit de actuali gratia locutus, dicens gratiam christianam esse omnipotentem; quod gratiam operationis spectat: igitur in utroque sensu eam expendemus. Sumpta in primo sensu, statim ingerit legenti justitiam imputativam, prout in §. præced. dictum est, ob rationem ibidem datam: cui addi confirmationis causa possent; quod dicat, gratiam Adami, ipsi fuisse proportionatam, indicans christianam proportionatam Christo. Quid ita? An quod prima inesset Adamo, altera Christo; oporteatque quodlibet accedens esse suo subiecto proportionatum? Si ita intelligi voluit Quesnellus, profecto ostendit in Peripatu non omnino hospitem: sed præstabat se offendere Romanæ Fidei tenaciorem; quacum, ut vidimus, non coherent ista.

XXVII. Alium sensum hujus thesibus adducit Theol. Supplex (8) explicando qualiter Adami gratia dici valeat fuisse illi proportionata. Et quidem, inquit, si de physica proportione intelligatur, quasi gratia Adami sanctificans esset illi conaturalis.

(1) Pref. ad Opusc. (2) Pag. 84. (3) V. cap. 2. §. 1. p. 42.

lis, aut natura illius strictissimo jure debita, errorem sapere patentissimum, in Michaelo Bajo prædammatum. Atqui, si harum propositionum inter se connexionem diligenter expendimus, dubitari non potest, quin locutus fuerit Quesnellus de proportionem physica. In prima superius expensa propositione præterit, gratiam Adami fuisse sequelam creationis, debitam nature sanæ & integræ. Porro nihil potest exigere natura quæcumque, tamquam sibi debitum, ac veluti sequelam suæ creationis, nisi ei sit proportionatum physice; ut ex terminis constat. Igitur dum in hac propositione adstruit proportionem, naturam Adami inter & gratiam, patet eum loqui de proportionem physica. Hoc si prædammatum est in Bajo; uti est in confesso; jam tenemus quid distincte in ea propositione 37. damnaverit Clemens XI. necerat super hoc ultra vitiligandum. Sed non dixit Quesnellus gratiam Adami fuisse strictissimo jure debitam. (1) Nec hoc dixit Bajus, & tamen justissime damnatus est: quidni ergo justissime sit damnatus Quesnellus, qui, ut ad primam dicebamus, Bajum ipsum audacia superavit? (2) Hic dixerat non esse indebitam, ille debitam.

XXVIII. Nunc, si malimus propositionem illam intelligere de gratia actuali, non erit ejus sensus obvius, quem propinat Theologia Supplex dicens: (3) *At si de proportionem quadam morali accipiat, adeo ut constituta antithesis sensus sit, gratiam Adami datam, utpote sano & integro, minoris efficaciam virtutisque fuisse, quam que nobis infirmis & lapsis, in Christo datur, atque per Christum, Augustini præstantissima sententia est lib. de corrept. & grat. Capp. 10. 11. & 12. gratiam Christi Domini POTENTIOREM IN NOBIS seipius appellantis, quam que fuerit Protoparenti collata. Cedo, an hic est sensus obvius & naturalis hujus propositionis? Antithesim instituit Quesnellus in voce proportionata, gratiam itatus innocentie inter, & nostram. Primam vult proportionatam Adami, nostram Deo dignam, non nobis proportionatam, sed omnipotentie divinæ. At si sic intelligitur, ut Auctor ille præterit, nullam video antithesim: sicut enim gratia minoris efficaciam virtutisque, proportionata est homini sano & integro; ita gratia potentior infirmo, & debili. Ubi ergo antithesis, quam tamen ille agnoscit? Nullibi comparet, nisi dicamus, gratiam, juxta Quesnellum, fuisse proportionatam Adami innocenti: quia aliud erat nihil præterquam concursus naturalis Dei, cum voluntate Adami; sequela creationis, debita Adami. Nostra vero gratia est omnipotens. Imo, non est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. Et prop. XI. Nihil aliud est, quam ejus (Dei) omnipotens voluntas. Est prop. 19. Quam nihil impedire potest aut retardare. Prop. 10. Quam quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur. Prop. 12. cui nulla voluntas resistit. Est 13. Quæ semper affert fructum suum. Est 18. sicque saltat Quesnellus de uno extremo ad aliud, de gratia Pelagiana, ad Bajanam & Lutheranam, non attingendo medium. Quin & superaddit errorem Baii & Lutheri, gratiam esse aliquid nobis pure extrinsecum, uti ex dictis constat. Hic illius propositionis sensus non ex digito, ut ajunt, sed ex ipsis Quesnelli verbis extractus est: huc ei non affricio; ex ipsis ejus propositionibus habetur. Sic nullus erit color cur eum calumniis gravari quis queratur, cum ex verbis ipsius sensus depromitur.*

XXIX. Addendum propositionem hanc non

(1) Theol. Suppl. p. 161. (2) Pag. 79. (3) Pag. 162. (4) Vide §. 3. num. 17. (5) In cap. 3. Genel. (6) Lib. 1. in init. cap. 15. num. 8. Edit. Amstel. 1667. (7) Quæst. 244. de vent. art. 12. (8) L. 3. de grat. Ch. c. 21.

obiter, ut vult Theologia Supplex, de gratia Sanctificante agere, sed ex professo, ut colligitur ex geminatione verbi Sanctificante; simul tamen agit de gratia operationis: quia non aliam sanctificationis gratiam, quam operum justitiam agnoscit, juxta 42. Bajanam: *Justitia consistit formaliter in obedientia mandatorum, que est operum justitia*: sicque iterum rejicit, uti alias dictum est, gratiam cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusam, nobisque inharentem; quod sub anathemate veterat Tridentinum Sess. 6. Can. XI. (4) quo Canone variae assertiones, nominatim, quæ afferit, gratiam qua justificamur, esse tantum *favorem Dei*: loco cuius Quesnellus voluntatem posuit, perstringuntur. Tantillane diversitas eum a fulmine isto tutum reddidit? Minime: æque extrinseca est nobis Dei voluntas, omnipotentia &c. ac favor.

REFLEXIO PRIMA.

XXX. Circa primorum Parentum in statu innocentie dona, non soli Bajus, atque Quesnellus, sed Lutherus quoque ac Calvinus errasse deprehenduntur. (5) Lutherus enim, Statuimus, inquit, *justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatam a natura hominis, sed fuisse vere naturalem: ut natura Ade esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum; Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est quod oculi lumen recipiant. Et postea: Porro hæc probant, originale justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant. Idem docuit Calvinus. (6) Ergo animam hominis Deus mente instruit, qua bonum a malo, justum ab injusto discerneret: ac quid sequendum vel fugiendum sit, præcunte rationis luce videret. Unde partem hanc directivam ad virtutem dixerunt Philosophi. Huic adjunctis voluntatem, penes quam est electio. His præclaris dotibus excellit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium non modo ad terrena vite gubernationem suppetere, sed quibus rascenderent usque ad Deum & æternam felicitatem.*

XXXI. Nec soli illi, sed Pelagius quoque dona naturalia, utpote gratis, nullis præcedentibus meritis collata, gratiam vocavit, ut omnibus notum est. Inde autem ad contrarios errores: quod & alias factum esse S. Thomas observavit; (7) processum est. Nam Pelagius, considerans per peccatum Adami potentias naturales hominis non esse destructas, intulit, in hoc statu, ad implenda Dei præcepta, necessarium aliud esse nihil, præter liberum arbitrium; id est gratiam creationis. Lutherus vero advertens, peritiam per Adami peccatum justitiam originalem, intulit, non mansisse integra naturalia, aut Scholastici, inquit, *delirant*: sed peritiam liberum arbitrium. Cumque per baptismum non restitueretur justitia originalis; etiam in regeneratis (nisi ad opera civilia) liberum esse arbitrium negavit: ex quo ulterius intulit non esse in potestate hominis vias suas bonas aut malas facere &c.

XXXII. Mirum profecto, quod Bajus ac Quesnellus doctrinam illam hæreticorum, fecerint sibi communem! Sed sefellit ipsos, uti & Jansenium, vulgare illud: (8) Non omnia que hæretici docent hæretica sunt: quod, tamen negare nolumus; immo libens fatear verum esse: cum hæreticorum una fraus sit, miscere falsis vera dogmatibus, quo facilius incautos fallant; at tamen existimo

stimo omnino abstinendum esse ab iis hæreticorum assertionibus, e quibus, veluti quibusdam principiis a se noviter inventis, errores suos & hereses deduxerunt. Quippe error aut hæresis, aut nulla falsitas, uti dialectici tradunt, ex vero principio nusquam sequi legitime possunt: ut ex hoc solo assertio quæcumque nova; quamquam in se considerata, non manifeste appareret falsa; vitanda sit, vel suspecta saltem esse debeat, si alicui fuerit errandi principium: præsertim si a communi Theologorum etiam Scholasticorum doctrina recedat.

XXXIII. Tale est dogma negans Adami in statu innocentie, dona aliqua vere supernaturalia collata fuisse. Illud primum, quod sciam, post exortam scholam, contra communem scholasticorum opinionem, invenit Lutherus; indeque jam dictas, deduxit hæreticas conclusiones. An inde quoque Quesnellus incoeperit, an potius illud avidè arripuerit, tamquam erroribus præconceptis accommodatum, haud facile dictum est, nec operæ pretium curiosius indagare. Utinam consulisset Scholasticorum principem S. Thomam! (1) facile ex iis quæ ibi legere poterat concludisset, gratiam, in qua Adamum creatum fuisse Augustinus sæpissime fateatur, non secus ac illam quæ nobis infunditur, donum quoddam fuisse omnino supernaturalia. Ita enim dicitur Angelicus: (2) *In eo qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratia Dei voluntatis. Dicitur est autem supra quod dupliciter ex gratia Dei voluntate homo adjuvatur. (3) Uno modo, inquantum anima hominis moveatur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine, non est qualitas sed motus, ut dicitur in Phys. Alio modo adjuvatur homo ex gratia Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo anime infunditur: & hoc ideo (Nota bene) quia non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quas diligit ad supernaturale bonum habendum (prout non solum nos, sed Adamum quoque diligebat) quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, & virtutes quasdam, que sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Et sic motus quibus a Deo moventur, sunt creaturis conaturales & faciles; secundum illud Sap. 8. Et disponit omnia suaviter. MULTO Igitur magis illos quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum (prout haud dubie movebat Adamum, ut nos) infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales; secundum quas suaviter & promptè ab ipso moventur ad bonum æternum consequendum. Hæc Angelicus.*

XXXIV. Ne vero suspicemur aliquis huic ratiocinationi satisfieri posse, dicendo: Adami infusus ac concretas fuisse virtutes naturales; nihil tamen supernaturale; occurrit rursus (4) S. Thomas ostendens gratiam, id est, donum quoddam supernaturale necessarium esse, ut homo vitam æternam mereri valeat. Si loquamur, inquit, *de homine quoad primum statum* (in quo Adam conditus fuerat) sic una ratione non potest homo moveri absque gratia vitam æternam, per PURA NATURALIA: quia scilicet meritum hominis dependet ex præordinatione divina. Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, que est principium actus: hoc enim est ex institutione divine provi-

dentia, ut nihil agat ultra suam virtutem: Vita autem æterna, est quoddam bonum excedens proportionem nature create; quia etiam excedit cognitionem & desiderium ejus; secundum illud 1. ad Cor. 2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit &c. Et inde est, quod nulla natura create est sufficiens principium actus meritorii vite æternæ, nisi superaddatur aliquid SUPERNATURALE donum, quod gratia dicitur. Si vero loquamur de homine sub peccato existente, additur cum hoc secunda ratio, propter impedimentum peccati.

XXXV. Sed Scholasticos cum suo Principe, ejusque, etsi solidissimas, ratiocinationes longe amandant Quesnellistæ? Verum non eis hæc scribimus; sed morigeris S. Romanæ Ecclesie filiis: quibus cum jam notum sit, ex Baii ac Quesnelli damnatione, Adamum in statu innocentie, supernaturalibus quibusdam donis ac gratiis fuisse ornatum, expedit etiam scire rationem, cur id ita fieri oportuit. Ut enim Angelice, id est, more suo Aquinas nosster discurret: (5) *Quædam disputatio ordinatur ad removendum dubitationem, an ita sit: & in tali disputatione Theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipimus illi cum quibus disputatur. 3. Quædam vero disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellegendum veritatem, quam intendit; & tunc oportet rationibus innoti investigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister questionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est; sed nihil scientie vel intellectus acquirere, & vacuus abscedet. (6) Una quoque dicitur confirmatum esse, tristi Jansenii ac Quesnelli casu, gravissimum nostri Illustrissimi Cano effectum: Connexi sunt, ac fuere semper, post natam scholam, scholæ contemptio, & heresum pestes.*

CAPUT IV.

De voluntate salutis omnium; deque Christi morte pro omnibus appetita.

§. I.

Propositiones Quesnellianæ, censura notatæ.

Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Est 30. Quesnell. Joan. 6. v. 40.

Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. Est 12. Quesnell. Mar. 2. v. 11.

Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratie sue manu, nulla voluntas ei resistit. Est 13. Quesnell. Luc. 5. v. 13.

I. Puncta duo Theologica hinc propositionibus attinguntur: unum de voluntate Dei salvandi omnes homines: alterum de efficacia gratiæ. Quod secundum spectat, cum plures aliæ propositiones idem tangant punctum; quod de his dicitur, de illis quoque dictum puta. Hic solum primum attingemus: voluntatem dico salvandi omnes homines. Manifestum est autem ex his propositionibus sequi, Deum non velle salutem reprobatorum: quippe, si Deo volente salvare homines, hi infallibiliter salvantur, reprobi salva-

(1) 1. 2. qu. 110. art. 1. & 2. (2) Loc. cit. art. 2. (3) 1. 2. qu. 109. art. 1. (4) 1. 2. qu. 114. art. 2. (5) Quodl. 4. art. 18. (6) Lib. 8. De Locis Theol. c. 1.